

vestro iudicio corrigatur. Quod ut diligentius fiat, nonnulli, tam praepositi quam subditi, in proposito coepto perseverare cupientes, per me minimum vestrae sanctitatis famulum suppliciter exorant, quia iam plures, ex his capitulis concepta audacia, aut congregationem communis vitae ex toto deserunt aut certe in ipsa congregatione manendo privatos sacculos sibi faciunt aut, si non faciunt, quia nequeunt, licere tamen sibi impune credunt, quo fit, ut inrecuperabiliter pereant, dum velut ex praecepto regulae aut apostatant aut apostatare<sup>a</sup> deliberant, [quin<sup>b</sup>] immo putant se praevaricatores, si defueri[nt ipsis<sup>c</sup>, q]uas regula illa concedit, propriae facultates; qui denique utcumque tolerabiles forent, nisi suo contagio secum habitantes inficerent ac simpliciter expediteque Deum sequentium ardorem torpore suo refrigescere cogerent. Nunc, igne divino cordibus et linguis vestrae pastoralitatis accensis, rogamus ea moderatione defendi et confirmari praecipuam instructionem Spiritus sancti, quatinus nec sani infirmetur nec infirmi moriantur, sed potius aspirante Domino utrique meliorentur’.

(fol. 225) Reverentissimus et summus pontifex Nicolaus respondit: ‘Rem quam maxime Domino Deo nostro placitam et communis vitae sectatoribus vel professoribus necessariam suggessit presens filius noster, quae tanto studiosius nobis est tractanda, quanto huic apostolicae sedi frequentior inde venit querela et expectatur de die in diem sententia eius sana et fixa. Unde diligenter consideratis capitulis illis, quae dicuntur scandalum in canonicorum congregationes<sup>d</sup> hactenus inducere, tandem apostolica auctoritate et priorum patrum fulti traditione removeamus quod priscae eorum institutioni deprehendetur refragari et restituamus quod approbabitur suffragari.’

Tunc revoluta praefatae regulae corpore inventi sunt duo libelli, secundum quod prologus eorum pollicebatur, canonicis victuris compilati, et prior quidem clericis omni-

---

a) ‘apostatatare’ corr. ‘apostatare’ V.      b) ‘quin’ ita Mab.; hodie non iam legi potest.      c) ‘ipsis quas’ ita emendavi; ‘his quas’ Mab.; sed spatium litterarum, quae evanuerunt, maius est quam ut solo verbo ‘his’ expleatur.      d) ‘congregatione’ V.

mea firmavi et testibus roboravi’; gedr. bei Mabillon, Ann. IV, 587. IV<sup>2</sup>, 539. Vgl. ebendort IV, 747 (IV<sup>2</sup>, 685) die Formula professionis canonicorum regularium ex ms. Corbeiensi (dies enthielt die Aachener Institutio) und die beiden Formeln aus Luccheser Codices, Migne, Patr. lat. CXLIX, 445.